

Secundus autem gradus est. auiditas quando scilicet anima assue eius ceperit circa illam suauitatem versari. Et tunc nascitur in ea tanta esuries. Ita ut nil possit eam reficere nisi cum eum quem amat possederit perfecte. Quod quia non potest in presenti attingere. quia adhuc longe est. continue excedit & egreditur extra per amorem extracitum clamans & dicens illud beati Job. Suspendium elegit anima mea. Et illud Psalmi. Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum. Tercius gradus est saturitas. que oritur ex ipsa auiditate. Qui enim vehementissime deum desiderat. & sursum fertur. Iam omne quod deorsum videt vertitur in fastidium. Unde quasi saturatus vix potest refectionem in aliquo recipere nisi in ipso dilecto. Et sicut saturatus si summat cibum incurrit potius abominacionem quam refectionem. Sic in hoc gradu caritas facit contra omne terrenum. Unde proverborum. Anima saturata calcabit faenum. Quartus gradus est ebrietas. que oritur ex saturitate. Ebrietas autem in hoc consistit quod quis tanto amore diligit deum. ut iam nou

solum fastidiat solacium sed etiam delectacionem. & querat tormentum pro solacio amoris illius que diligit & delectetur in penis obprobrys et flagellis cum Apostolo ii. Cor. xii. Unde sicut ebrius seipsum denudat sine pudore. et sustinet plagas sine dolore sic in illo amatore intelligendum est. Quintus gradus est securitas que oritur ex ebrietate. Ex hoc enim quod anima sentit se tantum amare deum quod libenter propter ipsum sustinet omne dampnum & omne obprobrium. Iam foras mittitur timor & tantam anima concipit spem de adiutorio dei. ut nullo modo est in se posse ab ipso seperari. In hoc gradu erat Ap[osto]lus cum dixit. Quis nos seperabit a Sextus gradus. Caritas cristiana est vera & plena tranquillitas. per quam tanta pax. et requies est in anima. ut quodammodo sit in silencio et sompno & velut in archa Noe collocata. vbi nullo modo perturbetur. Quis enim potest inquietare mentem. quam nullus cupiditatis stimulus inquietat. nullus amoris aculeus exagitat. In ista mente pax est et status ultimus. et ibi requies est ita verus salomon quoniam in pace factus est locus eius